

nos rem, ut gesta est, posteritati tradere. Ajunt itaque illi post longas Alexandri & Fœderici simultates, quas inde originem traxisse constat, quod in novo schismate inter Pontificem ipsum & Octavianum Antipapam orto, quum res cognoscenda ad Fœdericum delata esset, visusque esset Alexander declinare illius arbitrium, accersito ad se Octavianum, cœpisse Fœdericum aperte Alexandro adversari: indictoque apud Divonem, Galliæ locum, concilio (quia adesse Alexander noluit) infecta re soluto Principium conventu, accensum ira in Italiam Fœdericum redire statuisse: atque suo Antipapa præmisso, ipsum non multo post cum validissimis copiis in Cisalpinam Galliam transiisse: sed ante ejus adventum Octavianus diem obiverat, cui Guido Cremensis surrogatus est. Huic quoque in Alexandri invidiā se fautorem (ut ajunt) Fœdericus exhibuit. Multis interea in ea terra gestis, atque Anconem usque promotis armis, demum Romam versus, ut Alexandrum opprimeret, ferocissimus hostis movit. Sub ejus adventum territus ille, duabus triremibus Guilelmi Siciliæ Regis usus, Cajetanum primo, inde Beneventum venit. Fœdericus, Guidone Romæ constituto, ipse in Galliam Cisalpinam rediit: sed & Guido quoque non multo post moritur. Tum Alexander, permissa Romanis rerum humanarum cura, divina sibi tantum deposita, modo Romæ per homines adversæ factionis esse liceret. Verum, quum nec sic quoque pacem impetrare potuisset, desperata concordia, ex urbe profectus est. Sive igitur hæc causa fuerit, quod vix probo: nam civium discordia non illum (ut quidam ajunt) urbe excedere coegisset, quando utique, Reipublicæ administratione illis permitta, nulla esse potuit: sive impium potius Fœderici edictum, qui Alejandro omni Italia interdixisse dicitur, ut capitale esset, si quis eum cibo, potuive, aut hospitio juvisset; civitatibus quæ illum exceptissent, excidium interminatus; Regulis & aliis illustribus viris ultricia arma: quum nihil ille sibi tutum reliqua Italia cerneret, cœpissetque & Guilelmi quoque fides suspecta esse, per Appuliam ad Garganam montem transiit:

1176
Alexandri
Pape &
Fœderici
Imp. simul-
tates.